

~~LX.~~ CANONES MORIENDI

59

Sive

REGVLAE MORTIS

Ex Simeonis Exiterionatæ;

Quas animæ sua profecturæ Scriptit

FRANCISCVS HILDESHEIM,
Medicinæ D. & Serenissimi Septemviri
Brandenburgici Medicus Or-
dinarius.



ANNO

cl. Ioc.

D. M. Davidi Voi.

~~SH~~

ILLVSTRI ET
GENEROSO DOMINO, DOMI-
NO ADAMO GANSIO, NOBI-
LIBARONI IN PVTLITZ ET DO-
MINO IN WITTEMBERG &c. MAR-
chiæ Brandenburgicæ Marescallo au-
lico & Hæreditario, Domino
suo benignissimo.

QUæ cecini extremo mibi forte in margine Vitæ,
Accipe, sedfacili VIR GENEROSE manus.
Illa nec ambitio, nec habendi vana cupido
Protulit; ast mentis vena suprema meæ.
Da facilem cursum, nostrisq; applaude Camænis;
Sic placeant alijs quæ placuere Tibi.

Illustri Generositatii T:
addictissimus

Franc. Hildesheim D:

Reverendo & Clarissimo
Viro,

CHRISTOPHORO P E
LARGO: DOCTORI THEOLO-

go: Professori Theologiæ, in Academia Marchica,
& Ecclesiarum per Marchiam Inspectoris
generali &c: Domino & amico meo
Salutem dico.

*V*n singulis momentis, ad finem mortalitatis meæ accedam proprius, ac de supremo Vitæ actu sæpè mecum cogittem, quamuis nihil inde mali magnopere metuam, ne fane quicquam extimescam, quod lege Adrastiae statutum sciam, ut semel moriantur omnes: tamen hanc ex multis unicam cogitationem mihi deinceps relietam esse video, quoniam pacto in extremo Vitæ hujus certamine, inq; obscuræ mortis appulsi, aliquid alicundè arripiam, convalescere, reponam, conseruem, in quo semel acquiescat, & cui firmiter immoriatur animus meus, ne forte impartitus rapiar ad hoc inexorable, ineuitabile, ineluctabile factum. Mitto Scolis Stoicas, tam veteres quam novas, quæ solæ sibi hoc in negocio admodum sapere videntur, &

A 2

ambiti.

ambitiosa quadam verborum pompa de contentu mortis nescio quid magnificè crepant. Quantò rectius exclamabo cum Petro? Domine, quò ibimus? Tu habes verba æternæ Vitæ. Relictis igitur Stoicarum commentationum quisquiliis, ad sacras paginas me conuerti, & in his ad Simeonis λόγον ἐξηγεῖσθαι, quo simul rectè viuendi & benè moriendi artem exactissimè nobis aperuit senex ille sanctissimus.

Hunc Simeonem, cognomento IVSTM, quod tu non nescis, inter Sacerdotes sui seculi præcipuum fuisse accepimus, præceptorem Gamalielis, in quo cessauit magna Synagogæ Spiritus, qui Prophetiæ donum utcunq; supplebat. Addit Nicephorus, dubitantem eum in Esaiæ Vaticinio, de partu virginis, Angeli voce in fide Prophetica confirmatum, eiq; nunciatum fuisse, non prius vitam cum morte mutaturum, quam vidisset & amplexus fuisse CHRISTVM, DEI & virginis filium. Itaq; tanti Senis oraculo mihi aliquantò attentius immorandum esse ratus, hæc, quæ vides, conscribillaui, non parum in his adiutus Concione Antistitis aulici nostri, M. MARTINI NOSLERI, quam habuisse eum memini ad Serenissimum Electorem nostrum, nuper piissimè defunctum IOANNEM GEORGIVM &c: cuius anima sit in benedictione. Quicquid autem huius à me scriptum est, id ad te referre visum fuit, PELAR GE RE

GE Reverendissime & Clarissime, ut de argumēto isto
quamvis Theologico, mihi tamen jam proprio & unico, ipse
sententiam pro tuo arbitratu dices. Itaq; de hac re sta-
tues, uti voles, meque ex vetere fide amabis. Benè va-
le. Berolini Idibus Aprilis, Anno ultime D E I patiens
tie, supra millesimum sexcentesimo.

T. Reverendæ Dignitatis
Studioſiſſimus

Franciscus Hildesheim D.

A 3 PRAE-

PRAEFATIVNCVLA

Poëtica: Ex Nicephoro lib.i.cap.12.

Euge fortunate senex , quæ visio mentem
Intonat & quæ lux oculis non visa prophanis,
Visa tibi , I V S T V M te ad templi altaria sistit
Emeritum,mundo satagentem & abire volentem?
Et quid sancte senex,quidnam isto in pectore versas?
Dividis ac dubiam media in contraria mentem?
Dum legis arcano quæ fortè volumine Yates
Prodidit , ac quondam cecinit de virgine pura
Promissum puerum paritura pro perituris:
Ambigis interpres , gentes metuisq; prophanas,
Ne divina parùm current oracula vatum,
Ob rerum seriem inversam variataq; fata:
Dum dubitas , num vera fides,ecce Aliger aurem
Vellicat in somnis,titubantem & ad oscina mentem
Increpitat,sacroq; iubet confidere verbo;
Augurio haud vano,te non prius ire solutum,
Quàm I O V A M toties speratum in carne videres,
Et vitæ Dominum media inter brachia ferres.

Euge fortunate senex , hîc siste parumper,
Me donec tecum rapias, mentemq; paratam
Ad P V E R V M Mundi decus, & Venerabile ducas
Lumen,ut hinc mihi certa salus requiesq; resurgat;
Hîc ego ne in pelago linquar nassaq; malorum.

At prius hîc moriendi artem & præcepta salutis
Edoce,& instilla Cordis penetralibus imis.
Felix ille animi,qui Mundi fæce solutus
Ad CANONES moritur,claudit cui Regula vitam.

CANO,

CANONES MORIENDI

Ex Simeonis Iusti Exiterio.

I.

Manere Seruum Domini, donec veniat.



Rgō in seruitio Domini nunc usq; ma-
nen tem
Me Domini seruum vigilantem, & ad
omnia firmum
Ire juvat , nec me mors ultima linca-
rerum

Terrificat. quando ille volet, dimittar in urnam.
Ille meæ vitæ præscripsit terminum , & ille
Librauit sortes vitæ. me stare vocanti
Convenit, & media in morte exspectare salutem.
Servus ego Domino servor, qui matris ab alvo
Incolumem traxit, meritis cumulatuit inermem.
Morte sua mortem domuit, proptiq; cruento
Ad cœlum patefecit iter. quin flamine Sancto
Purgat adhuc mentem, ac cœlesti præparat auræ:
Huicce fidelis ego dum vitæ est aura, manebo.

Sed veluti Seruus sibi non famulatur, at unus
Statq; caditq; suo Domino , cui supplicat uni,
Contentus modico pastu, precioq; laborum;
Hostes quin etiam Domini auersatur & odit,
Et si forte parum metas exorbitat , usq;
Admonitus resilit, veniamq; precatur, & ultrò

Sistitur

Sistitur officio, mandaq; munia soluit,
Nec fugit ante diem, sed finem laude coronat:
Sic seruire DEO qui curat, is omnibus unum
Anteferens, uni vita est obnoxius ipsa,
Dura pati discit, rebusq; assuescit acerbis;
Et quò fata vocant, sequitur, nec degener ullæ
Parte sui fremit, exigua sed forte quiescit;
Delapsus veterem in culpam resipiscit, & hostes
Ille D E I fugit atq; fugat prece, numine, Verbo;
Inq; suis operis suprema ad funera perstat.

Sic servire D E O, regnare est. Hinc ego latus
Et vitæ & mundi satur, hac discedere valle.
Gestio, meq; jugo fessum dissoluier isto.

II.

Exire in pace.

Antè diem tamen extremum, compone Viator
Sarcinulas, vitæ retinacula, frustula, micas
A, Collige, testatoq; prius tu conde libello
Singula, ne qua tuis surgant incommoda natis,
Aut hæres geniale ferat post funera bellum;
Verùm, ut reliquiis partis in pace fruantur;
Ac discant placido relicta erciscere vultu.
Quin & amicorum offensas, irasq; malorum
Concilia pro parte tua, nec læsus ab hoste,
Vindictæ, placidis veniamq; rogantibus asper
Immineas, juris sed de feroore remittas;
Namq; homines sumus, in culpam descendere pronj,
Vnius obnoxiam meriti stipendia culpæ:

Vnum

Vnum igitur simus, nec nos iniuria fœdas
Distrahat in partes, queis vita est omnibus una,
Vna fides, pœna una, & quæ manet ultima cœlo
Vna salus, terris unum Baptisma professos.

In primis venerare D E V M, à quo supplice vultu
Orabis veniam, nec mens sibi conscientia culpæ
Differat in seram commissa piacula mortem;
Quanta seges scelerum est? & quam fœcunda malorum
Semina transversam rapiunt in criminis mentem?
Quin etiam justus luce una septies errat
In tenebris vitiorum, & se in caligine mersat
Immundi Mundi, propriæq; in carcere carnis.
Adde, quod à dextris morienti mille malorum
Occursant facies, à læva Spiritus adstat
Tristiciæ, judexq; suprà nos territat, infrà
Horrendum chaos inferni, foris orbis, at intus
Conscientia mens pectus curarum percoquit æstu:
Tantæ molis erit, nosmet servare saluti.
Sed cœlo juuat esse D E V M, juuat esse Patronum,
Aurea nobiscum qui Pacis fœdera figit:
Pax animo est, stabilita fide, qua sidera adimut;
Pax morti atq; Erebo, C H R I S T I quæ voce recedunt;
Pax Mundo, quem stravit humi victoria C H R I S T I;
Pax superis; tandem reserata est janua cœli.
Hæc firmant fugientem animam, & solatia præstant;
Sic juuat ire, atq; immundo valedicere mundo.

III.

Exspirare in aspectu C amplexu C HRISTI.

Nunc age Diue senex, propius te siste roganti;
Sit mihi fas porro tua sancta capeisse dicta;

B

Nam

Nam quod inauditum est, animoq; oculisq; salutem
Corporeis cernis, pueri in complexibus hæres;
Idq; leue: Vnde tuæ tanta est fiducia menti?
Hoc viso puero acceptoq; cubilia terræ
Protinus expetere, & membris mox velle resolui
In mortem? usq; adeo nihil ultrà humana moratus
Mortem optas, pulchrumq; mori succurrit in ulnis
Tam puri pueri, volupe est excedere vita;
Vota mori tua sunt, omnis mora longa parato est.
Eallimur? an Puer ille D E V S , quem condis in ul-
nas?

Quem tot vota Patrum, quem tot suspiria regum
Spectandum humana nequicquam in carne rogabant,
Quem vates oriturum Orbi longè antè caneabant,
Morte piaturum veteris contagia culpæ;
Quin etiam de quo dudum tibi missus ab alto
Spiritus indulxit, te non fatalibus umbris
Cessurum prius, aut missurum lumina morti,
Quam C H R I S T V M aspicias puerum, amplexuq; salutes:

Ecce tibi C H R I S T V M , tota quem mente petisti:
Hoc duce nil ducis vitam, mortemq; perennem
Hoc mortis victore in somnum & somnia vertis.
Scilicet hæc timidis spes est morientibus una,
S A L V A T O R E M oculis fidei mentisq; tueri,
Amplecti expansum maledicto in stipite C H R I S T V M :
Nam veluti quondam serpens formatus ab ære,
Anguibus à viuis lethali vulnere lœfos
Intuitu uno omnes trepidante à morte reduxit:
Sic quos tartarei corrupit lingua Draconis,
Morte sua Puer hic æterna à morte redemit.

Ergo

Ergò annis animoué grauis, si quando profundam
Duceris ad noctem, jam nunc mittendus, ad Vmbras,
Nec tibi Parca diu grati dabit aeris usum;
Cùm mors semianimem rictu terrebit inani,
Et mox illa tui sub terras ibit imago:
Tunc animis opus est morituro & pectorē firmō.
Hic tu SALVATOREM oculis manibusq; prehende
Victricis fidei, tuaq; hunc in pectora conde,
Hoc comite in medium mortem, cùm jusserit, ito:
Nec vitæ veniat tibi tām scelerata Cupido,
Vt tali aspectu amplexuq; extrema recuses.
Ne trepida ad mortem. C H R I S T O nil triste recepto
est,

Ille moram lethi rumpet, te mole ligatum
Corporis expedietq; brevi, funestaq; mortis
Sibila, terriculasq; in vitam & gaudia vertet,
Ac faciet potius sperare aut spernere mortem
Quām fugere, immanem velut hostem & militis hastā
Qualem ridiculus pictor sculptorq; figurat;
Horrendum Sceleton, lumbis atq; ore tremendum,
Cùm vitæ illa tuæ verè sit portus, & ortus
Alterius, non poena tibi, sed vena salutis.
Ah quantum est? morientem hoc SALVATORE re-
solvi,

Atq; oculis mentis fidei q; quiescere in illo,
Exhalantem animamq; istis deponere in ulnis.
Ecquid enim miseri non S A L V A T O R I S egemus?
Qui lapsos releuet, peccati fasce grauatos
Liberet, ac pauidas mentes in pace reponat,
Qui legem infringat damnantem, iramq; parentis
Conciliet timidis animis, qui spicula mortis

Reginamq; Hecaten tenebrarum , atrumq; tyrannum
Regnatorem Erebi, mortem quoq; destruat ipsam.

IV.

Quiescere in ultimo CHRISTI officio.

Restat ut expediam , quidnam ipsa in morte labantes .
Soletur magis, & faciat profundere vitam :
Scilicet officio CHRISTI gaudere supremo ;
Quod Puer ille suæ L V X est & G L O R I A gentis.
Prodijt arcano Patris de lumine lumen,
Summus Patris amor, D E V S ipse, D E I unica proles,
Illiis è gremio nostræ decreta salutis
Protulit, & primus V E R B O reseravit Olympum
Atq; voluntatem Patris patefecit amicam,
Qua lapsis est parta salus, tenebræq; fugatæ,
Victaq; mors , cœcumq; Erebi scelus omne repulsum,
Atq; excussa dolis sunt pignora reddita cœlo.
Hæc via LVXq; viæ est, noctes quæ discutit omnes
Errorum, atq; animas tenebrarum in valle sedentes,
Hæredes veteris culpæ grauiumq; malorum
Expiat, ac donat miseris mortalibus æuum.
Hæc V E R B I fax est , mediis quæ fulget in umbris
Et nos per mundi tenebras deducit euntes ,
Ac fidei flammis accendit pectora, donec
Grata superveniens æternæ Aurora diei
Mentibus assurgat nostris, nebulæq; recedant.
Quid : quod & informat vitam L V X illa , Renatis
D V X est ad sanctas operas , & Regula vitæ,

Vt se

Vt se subijciant tam blandis legibus almi
Imperii, nec fræna suis affectibus addant,
Sed labem fugiant, maculas deponere discant,
Quas aut primus homo vix natum invexit in orbem.
Aut humana superstruxit natura proteruè.
Tunc quoq; cum vitæ certum tibi carpere persum
Constituunt superi, Parcæ tela ultima texunt,
Cùm suadente D E O pulsat mors nuncia fati
Ante fores, certamq; intentant omnia mortem,
Cum fatalis adest demensi temporis hora,
Aeternamq; timent languentia pectora noctem;
Cùm mors antè oculos seris accincta tenebris
Inuoluit pauidam mentem, & præcordia quassat:
Hæc L V X luminibus nostris se splendida sistit,
Ne videant umbras, ne nox caua lumina somno
Sopiat æterno. Quin Dia L V C E R N A tenebras
Et cœcas Erebi casses disrumpit, & omnes
Dispellit mentis nebulas, animumq; serenat,
Atq; metum mortis frangit, dat semina vitæ;
Ergò tuum ante diem supraemq; funera, supplex
Hoc L V M E N venerare, atq; hoc tu L V M E N an-
hela;
Et poteris moriens æternam cernere L V C E M.
Quin etiam Puer hic L A V S est & G L O R I A
gentis,
Quam sibi selegit præ cunctis gentibus unam,
Cui proprios dixit cultus, cui fœdera sanxit,
Iura dedit, leges posuit, templumq; sacravit,
Et cuius voluit D E V S ipse è sanguine nasci.
Indè etiam Eleos ex omni climate mundi.
Nobilitat, meritisq; suis & sanguine fuso

Plantat opus L A V D V M sibi , fingit vasa Salutis,
Et superum sobolem indigitat , quos sustulit Orco ;
Colligit & sanctum semen ; quo gloria cœlis
Crescat, & æterno celebretur L V M E N in æuo.
Ad le quod est VICTOR mortis , qui colla triumphans
Vincta trahit Sathanæ , qui regna silentia Ditis
Destruit, atq; Orci crudelia claustra refringit,
Imperium cœlo tenet, ac dominatur Auerno:
Hinc E Q V I T E S proprio condit de nomine, pugnam
Qui renouent, vitæq; sub hoc tolerare Magistro
Militiam , & graue mortis onus perferre laborent:
Hæc tibi V I C T O R I S moritura G L O R I A sur-
gat
Ac de morte potes similem indè referre triumphum.

V.

Certare in fidei specialis certitu- dine.

H Ac celebrata tenuis sunt E X I T E R I A sancti
Læta Senis , vitæq; simul mortisq; parandæ
Præcepta , ac docili S O T E R I A tradita menti.
Restat ut adjicias propriam, quæ dicit ad astra
Ipse fidem , quam nulla dabunt merita atq; labores
Condigni , cultus cumulati , aut congrua virtus ;
Ille dabit solus , Patri qui flumen amoris
Noster amor, vigilat nobis , Flamenq; sacratum
Demittit , fidei ut firma incrementa ministret ;
Haud aliter datur æthereas grandire per oras,
Atq; referre polo diuinæ particulam auræ.

Ergo

Ergò tuus Puer ille , meusq; , atq; omnibus unus,
Lumine qui Fidei C H R I S T V M amplexuq; salutant,
Et quibus ille manet L V X tuta , & Copia L A V D V M :
Tu modò ne teipsum fallacibus exime technis
Quas hominum generi Sathanas confingit & offert ,
Seductor tot mille animarum ab origine prima ,
Mille opifex fraudum, scelerumq; magister & autor ;
Huic caue sis mentem flectas , sed nitere V E R B O ,
Quo P V E R hic populos omnes vocat, omnibus idem
Saluificam promittit opem , finaliter omnes
Ad sua regna venire jubet, nullumq; suorum
Excludit, nisi qui sibi propria somnia fingit ,
Nec V E R B V M reuerenter habet, nec credere C H R I -
S T O

Curat, cui nostræ tam prouida cura salutis ,
Improbat ipse D E V S casus miseratus iniquos
Præfractamq; hominis mentem , reprobosq; furores
Acriter incusat, revocatq; à labe malorum :
O miserum mortale genus , quid debuit ultrà
Pro te , proq; tua D E V S attentare salute ?
Ergò illum inferitus causam tu dicere noli :
Perditio ipse tua es : mortem tibi tute parasti :
Vna salus , solo in C H R I S T O sperare salutem ;
In fidei obsequium captiuos ducere sensus ;
Durare , ac sese vitæ servare futuræ .
Si surgant hostes contrà , qui extrema minentur ;
Tu ne cede malis , nec mox succumbe periclo :
Militia hæc vita est, & habent sua castra renati ;
Qui C H R I S T V M in mundo , mediaq; in morte se-
quuntur ,
His nunquam ærumnæ , nunquam certamina desunt :
Certan-

Certandum est igitur, si vis te vincere primum
Pugnandum tecum tibi, vita putandaq; bellum;
Nam non pugnanti nulla est speranda corona:
Si dubium est bellum, tu contrà audentior ito:
Arma tibi P V E R hic, Verbumq; precesq; mini-
strent:

Vota viam invenient, aderitq; vocatus I E S V S:
Hæc vis grata D E O est; hac flectitur atq; ligatur
Omnipotens, ceditq; lubens ad vota suorum.
Quid multis? hæc lucta pios, sors ista moratur,
Discipulis C H R I S T I sola hæc Academia aperta
In qua quisq; suam discat consumere vitam: (est;
,, Credere, quæ nusquam apparent, dilata, locataq;
,, In dubio, sperare tamen, licet omnia certam
,, Spem renuant: & amare D E V M, qui sæpè paren-
,, Dissimulans vultum, se in contraria vertit: (tis
,, Quin etiàm, dum feruet agon, dum perfidus hostis
,, Insultat timidis, & inania murmura miscet;
,, Tunc telis fidei scutum objectare juuabit,
,, Inq; acie immotum stare, & se tradere C H R I S T O,
,, Ad finem durare, dabit victoria finem.

V I.

*Cbdormire in spe E expectatione æter-
nae vitae E gloriae.*

VEntū ad supremū est, constat, quicunq; repugnes
Affectū, semel hinc migrandū, quamlibet omnes
Excutias remoras, nil te de morte reducet,
Terminus hic tandem tibi Decretorius instat.
Hospitium hæc vita est, & cùm conducta reposcit
Cre.

Creditor, hac terra non nostra exire necesse est.
Dulce frui requie, exhausto quocunq; labore:
Dulce mari emenso speratum attingere portum:
Dulce viatori, per mille pericula vitæ
In patriam propriamq; domum cum laude reuerti:
Dulcior at quantò, & longè dulcissima res est?
Talibus in vitæ curis, tantisq; periclis
Perpetuam placida mercari morte quietem
Quàm miserum est? vitæ portum, portamq; salutis
Auream, & æternæ reserantem gaudia vitæ,
Mortem illam extremam sortem, medicamq; malorum
Ac scelerum, quæ vera tuæ sunt ulcera vitæ,
Horrere, & subitò ad nomen pallescere mortis?
Intuere ô C H R I S T V M , qui solus mortis imago
Viua manet contrà mortem, tuq; exue vitam hanc
Morte tua, atq; nouam meritis CHRISTI indue vitam.
Hæc rerum summa est: Tibi ne ipsi gaudia differ,
Quæ nunc cœlestes pertentant gaudia mentes,
Gaudia mortali quæ visa auditaq; nulli,
Nullius in viui pectus descendere possunt:
Hæc in monte Thabor Cephas sub imagine cernens,
Aeternas optat poni terno ordine cellas
Protinus, atq; inibi per secula mille morari;
Sed desiderio nequicquàm incensus inani,
Per mortem, ætheream migrare jubetur in aulam:
Hic saltus restat viuis, hæc meta laborum;
Humanorum operum hic pendens ab origine finis,
Posse mori, æternam & moriendo intrare salutem.
Deficiat mundus nos undiq; & undiq; Dæmon
Decipiat, caroq; inficiat nos propria: C H R I S T V S
Purgatos reficit, tutosq; in regna reponit

C

Auræ

Aurea, perpetua semper dignissima vita.
Quid præter lacrumas hæc & suspiria vita est?
Vita vieta, caduca, magistra doli atque dolorum:
Ipsa sibi exilium, laqueus, mors, carceris illex
Serva malis, sentina bonis, juuenumq; Charybdis,
Fabula, larua viris, senibus quoq; Somnium & umbra:
Quantum discrepat altera vita? illa aurea vitæ
Vita, quieta, beata, manens, animata, superstes;
Nulla ubi suspicio, nullus timor, angor & error,
Insidiæ nullæ, non adversarius ullus;
Omnia perpetuò perstant, status omnibus idem,
Læticiam sine gestu agitant, sine voce loquela;
Et nescire D E V M nequeunt, sed & omnia norunt
Extrà artem; quod quisq; tenet, non invidet ulli,
Purus amor cunctis, nulla hîc fastidia rerum;
Quodq; uni proprium est, id mox commune fit omni:
Pectora plena D E O, non admittentia noctem,
Aeternis lucent radiis, præsentia cernunt,
Illi præteritum nusquam est, nullumq; futurum,
Non spes, non casus, non sors, tristisvè senectus;
Perpetuant sibi delicias, & nescia dici
Gaudia. materia est D E V S omnia in omnibus unus;
Miscentur Sancti Genij, laudesq; perennant;
Hæc semel ut videam, nil me terribus umbris
Da mihi posse mori, & vitam hanc da maxime C H R I S T E.

Veni Domine IESV, etiam veni.

F I N I S.

Ex

Ex Apocalypsi.

Ecce ego pulso ostium, si
quis aperiet, intrabo &
coenabo cum eo.



Cœna cœnis una major omnibus:
Quis cordis ostium ferit? quis ad fores
Pectoris, ingressum gestit? quis limina mentis
Intrare gaudet? C H R I S T V S est. Eja Hospitem
Amicum hominum D E V M; Patronum & unicum.

Ingredere ô felix, hospesq; assuesce vocari,
Cuius in aduentum, Cor sese attollit & omnis
Mœror abit, nimioq; exsucca timore resultat
Vena Melancolici, atq; iterum sese explicat intus
Spiritus, ac dulces redeunt cum sanguine vires.

Audeboné? Ades. Hic placeat discumbere mecum
Hic intra, hic habita. Hospitium ne despice tecū
Pauperis. ecce tibi thalamos jam contrahit ardens
Spiritus, & Cordis justa plus parte relinquit;
Tu modò siste, humiliq; loco tete arduus infer.
Nulla mihi sedes te dignior. Ilicet istam
Immundam tu sedem uno mundissime nutui,
Et puram dabis, & miseratam in pace repones.
Ingredere ô felix, animumq; in morte labantem
Erige, & hoc placidam firma sub pectore pacem.

F. H. D.

C 2

Animi

Animi alloquium.

ANime, D E V S quem jussit esse simplicem
Talemq; te finxit refinxit providus;
Quando auolabis ales è cavea tua?
Quandò locata exibis hospes hinc domo?
Vbi moraris, atq; habitas nimium diu;
Tuens nefanda,mussitans injurias,
Mortaliumq; ad dicta facta nauseans,
Quæ te dolentem susq; deq; lacinant.
Quin corporis te exfibulas ergastulo?
Exutus istis carneis molestiis,
Vbi corpus hoc est hospes atq; hostis tibi.
Liber malis,tuam repetens originem,
Migras paratus ad poli palatia?
Vbi nunc Henochus atq; Helias hospitant,
Et intuentur carneis oculis D E V M.

 Anime,reconde lectulo curas tuas,
Corpus sepulcro. linque mundo ineptias,
Terræ cadauer,aulicis ludibria,
Fastum superbis , nænias risoribus,
Sannas planis, Opicis voluptates suas,
Opes auaris lubricas,Erebo nefas:
Nec contremisce mortis ad truces minas,
Quin vellicanti sponte linque penulam,
Teq; exime tot tantis catenatis malis,
Queis implicatur perditè mortalitas:
Cui contigit nasci,semel restat mori:
At quid mori est? nisi perennem viuere
Vitam , solutam vinculis mortalium;

Curis

Curis , dolore , spe, metu, periculis :
Exire mundo quid ? redire ad cælites,
Nos vndé deturbauit astutus Sathan ;
Quid mundus est ? rerum bonarum euerritor,
Hyæna, Siren, Lerna, Sphynx, stabulum Augiæ.
Tecum hæc reputa , & confide C H R I S T I gratiæ,
Qui liberatum morte , transponet polo,
Ac sempiternis te beabit gaudiis.

F. H. D.

I N S Y M B O L V M

Reverendi & Clarissimi viri,
M. MARTINI NOSSLERI,
Antistitis aulici &c :

Mortalis Non Moriar.

Mira fides , & mortalis non morte peribit ?
Crede mihi , nusquam hoc scripsit Aristoteles.
Altior at tibi mens, quæ se super æthera tollit ,
Mortis ubi didicit temnere posse minas :
Audio. pars nostri melior , cœlestis origo
Non moritur. Sed post funera corpus ubi ?
Cedite, Philosophi. me pagina credere C H R I S T O
Sacra jubet : Non est mors, ubi CHRISTVS adest.
Hæc egò dum reputo , moriendi tempora lustro,
Pròh desiderio tempora tarda meo.

F. H. D.

C 3

IN

In Cygnæos cantus
FRANC. HILDESHAEMI.
*Serenissimi Semptemviri Brandenburgici Archiatris,
VIRI SVMMI.*



Vi juueni, Latij Dux Aemilianus alumno
Ipse sua imposuit laurea serta manu;
Ille sagax orlo, extremæ ad postscenia vitæ
Deductus, moribunda intonat hæc ani-
ma:

EPIC. Fabellam nimium vitalem exosus, & ultrà
vitæ fabu- Præbere exsangui materiem Inuidiæ.
la Dei cho- Eia age sic anime o mi! & te para, & egredere istinc:
ragi arbi- Viuere desistas, viuere ut incipias.
tratu per- Nam qui se Christo vouit, demortuus Orbi,
agenda. Nec viuens vivit; nec moritur moriens.

Samuel Scarlach.

F I N I S.



A 2490

ULB Halle
003 485 986



3

SB

WOM



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



LX
CANONES MORIENDI

Sive

REGVLAE MORTIS
Ex Simeonis Exiterionatæ:

Quas animæ sua profecturæ S. ripſit

FRANCISCVS HILDESHEIM,
Medicinæ D. & Serenissimi Septemviri
Brandenburgici Medicus Or-
dinarius.



ANNO

cl. Icc.

D. M. Davidi Voi